

1372 robur Veneti exercitus erat , aliquæ expeditiones per id tempus factæ dicuntur , sed nulla quidem memoria dignæ . Milites plerique , qui magis graves suis quam hostibus es- sent , ob assidua latrocinia , ex ipsis castris jussi sunt abire . Apud quosdam reperio , Rainerium Vaschum , quem ultro se imperio abdicasse diximus , & ipsum cum ignominia exauctoratum . Jacobus Maurus ad imperium classis mis- sus , quum circa præsidia quæ Delphinus erexerat , aliquan- diu stationem habuisset , in morbum incidit , quo implici- tū Venetias est delatus . Rainerio abeunte , terrestrium co- piarum imperium Alberto Corregiensi datum . Per eos dies , quibus is cum Leonardo & Andrea Dandulis , & Petro Fontana legatis in castra venit , in stagnis res parum pro- spere gesta est . Muniebatur locus tanquam omnium oppor- tunissimus a Venetis , non procul a præsidiis , quæ Delphi- nus erexerat . Eos operi intentos ex improviso Carrarius adortus turbat primo , inde fundit fugatque . Ceciderunt primo hostium incursu patricii sanguinis quidam , atque cum his sagittariorum nonnulli , reliqui ad naves præcipi- ti fuga compulsi . Sed non tam male hic , quam fœliciter postea circa castra dimicatum est . Nam quum jam hostes in conspectu essent , pararetque Venetus communire lo- cum , qui medius inter utraque castra erat , Stephanus Transilvanus , Pannonici equitatus ductor , ut ab incepto opere Venetum averteret , structa acie eo processit . In eum Leonardus Dandulus confestim eduxit , nullam pu- gnandi moram , si per hostem licuisset , facturus . Sed bar- barus quasi consulto eo die prælio abstinuit . Postridie ve- ro Petrus Fontana , penes quem illius diei imperium erat (alternis enim cum Corregiano imperitabant) fero- citer & ipse , ubi illuxit , in aciem descendit . Hostis nec ipse pugnam detrectavit , injectoque certamine , continuo Venetus edicit , ut relictis equis , cataphracti equites pede- stre prælium capeſſerent : hortaturque obeundo aciem , ju- betque suos ut aut vincere in animum inducant , aut ad unum cadere , habiturum se pro hoste , ac infesto ferro petiturum , quem respicere fugam viderit : affuturum in

*Veneti pa-
riū proſpe-
re pugnant
cum Panno-
nibus.*

pri-